



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Vita Ioannis Berchmanni Flandro-Belgæ Religiosi Societatis Iesv

Cepari, Virgilio

Antverpiæ, 1630

Incitamenta ad orandum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46083](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46083)

lectulo cordis tui, tum apprehende illum, amplectere magno cum affectu, offer Deo Patri, gratias age, pete, & tene eum, Domine non dimittam te, nisi dederis mihi hoc & hoc.

Inter vescendum imaginare quasi videas Christum Dominum vescentem cum suis discipulis, obseruando quem modum teneat, & imitare: vel cogita fel Christi, vel te habere Christum recens natum in corde tuo, ibique petere lac à te, educa illum, relinquendo illi optima.

*Alia quedam ab eodem Ioanne Berchmanno
Romæ conscripta.*

Incitamenta ad orandum.

MOTIVVM primum: Si benè facio orationem meam, non erit vllum periculum amittendæ vocationis meæ; omnis enim apostasia à Societate hinc sumit initium.

Secundum: Maxima sollicitudo Societatis de oratione: ideò enim datur quadrans vesperi, visitantur omnes, &c.

Tertium: Qui benè facit orationem, habebit cælum hinc propter abundantiam consolationum, & postea.

Quia autem oratio pendet vel maximè à modo manè surgendi, ideò priùs hinc traden-

da videtur ratio benè transfigendi mediam illam horam , quæ præcedit orationem , qui modus erit præparatio ad illam.

Modus benè transfigendi mediam primam horam matutinam.

Ad pulsum cogitabo me vocari à Deo, & muniēs me signo sanctæ Crucis, dicam, *Domine quid me vis facere? paratum cor meum Deus, paratum cor meum.* Tum exclusâ omni aliâ cogitatione percurram puncta meditationis, & simul aliquam similitudinem, quæ faciat ad meditationem tuam, eo modo quo B. P. IGNATIVS docet faciendum in Additionibus pro primo & secundo exercitio primæ hebdomadæ. Similitudo communis ad omnem meditationem esse poterit hæc, considerare Christum in folio sedere, circumstantibus Patronis tuis eo modo, quo solet Summus Pontifex, cùm celebrat solemniter, & excita te ad reuerentiam & deuotionem, vel excita aliquem affectum.

Hoc solum adde, quando accipis sotanam, antequam induas illam, osculare eam, gaudendo in animo tuo, quòd adhuc hodie Christi insignia gestare possis. statim vbi descendero, lectus operiendus.

Cùm eris vestitus, flectes genua, & facto signo